STATUTA

PRO MISSIONIBUS

ORDINIS FRATRUM MINORUM

AD CLARAS AQUAS

EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

1924.

TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE - AD CLARAS AQUAS

RESERVATA

Prodierunt :

Statuta pro Missionibus Ordinis Fratrum Minorum.

In 8°, pag. 48.

Attente legenda.

1. « Statuta haec singulis annis in omnibus nostris conventibus post Constitutiones generales, et in Missionibus durante recessu spirituali, in publica mensa perlegantur » (p. 34, n. 99); ideoque unum saltem eorum exemplar in singulis Conventibus praesto esse debet.

2. Haec autem Statuta Ordini nostro unice reservata sunt; itaque extra Ordinem vendi aut communicari, iussu Rmi Definitorii Generalis, nequeunt.

3. Horum Statutorum exemplar unum mittimus ad A. RR. PP. Ministros vel Commissarios Provinciales, ut rem agnoscant et pro sua quisque administratione vel singulos conventus de ea admoneant vel pro singulis Conventibus exemplaria petant.

4. Monemus tamen Typographiam nostram ad Claras Aquas ad omnes Conventus, ad quos ***Acta*** Ordinis perveniunt, simul misisse proprium Catalogum, in quo inclusam hanc eandem paginam, Fratribus item unice reservatam et sic notatam, Superiores invenient.

Pretium in Italia est **Lib. 1,50**; extra Italiam **Lib. 1,75**: *franco*.
Adsunt quoque exemplaria apud Librariam S. Antonii – Romae.

DECRETUM.

Quo facilius Missionum regimini, quae Fratrum Minorum S. Francisci curis a Sede Apostolica commissa fuerunt, et in posterum committi contingat, prospiceretur, visum est quemdam uti dicunt « Modum vivendi » conficere, quo mutuae relationes inter Superiores ecclesiasticos et Superiores religiosos, necnon inter Superiores istos ac missionarios religiosos clarius determinarentur. Qui « modus vivendi » a Definitorio Generali Ordinis Fratrum Minorum accurate concinnatus, examini EEmorum Patrum huius S. Congregationis de Propaganda Fide in plenariis comitiis diei 14 labentis Ianuarii habitis propositus, nonnullis interiectis immutationibus, quae in adnexo exemplari fideliter exhibentur, in omnibus probatus fuit.

Quam EEmorum Patrum sententiam in audientia eiusdem diei ab infrascripto S. huius Congregationis Secretario relatam, Sanctitas Sua benignissime ratam habere dignata est et praesens in re Decretum expediri iussit.

Datum Romae ex Aed. S. Congregationis de Prop. Fide die 28 Ianuarii 1924.

G. M. Card. VAN ROSSUM
Praef.

L. ✠ S.

† Franciscus Marchetti-Selvaggiani
Archiepiscopus Seleucien.
Secretarius.

FR. BERNARDINUS KLUMPER

TOTIUS ORDINIS FRATRUM MINORUM MINISTER GENERALIS

ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS

DECRETUM.

Peculiaria haec Statuta seu *Modus vivendi* in Missionum Ordini nostro a S. Sede commissarum et Missionariorum bonum compositus, fuit a Definitorio generali mature recognitus et dein subiectus examini S. Congregationis de Propaganda Fide. Quae cum factis aliquot emendationibus Statuta approbaverit, Summus Pontifex sententiam Emorum Patrum ratam habere dignatus est.

Idcirco omnibus et singulis, ad quos spectat, praecipimus, ut ad normam Constitutionum generalium Ordinis num. 659, haec Statuta fideliter observent, prout in hoc exemplari, ad mentem laudatae S. Congregationis emendato, reperiuntur.

Praesertim Superioribus regularibus in nostris Missionibus degentibus summopere commendamus, ut eiusmodi observantiae sedulo invigilent ac quotannis de ea accurate ad nos perscribere non omittant.

Datum Romae, die festo S. Petri Baptistae et Sociorum, Martyrum Iaponensium, 1924.

Fr. BERNARDINUS KLUMPER
Min. Glis.

De mandato Paternitatis Suae Revmae
Fr. NATALIS GUBBELS
Secretarius Missionum.

Caput I.

De Missionibus in Ordine, earumque administratione centrali.

1. **Missiones opus summi momenti.** — Quia ex sancto Evangelio, cuius observantiam specialiter in Regula profitemur, Apostolorum exemplo quasi hereditario munere nobis congruit catholicae Fidei praedicatio, ut hac etiam in parte Instituti nostri teneamus rationem, simulque seraphici Patris nostri mandatum de fratribus idoneis ad infideles mittendis pie exsequamur, rogamus quoscumque Ordinis nostri Superiores ut Missiones, Ordini nostro a Sancta Sede commissas vel committendas, singulari favore et sollecitudine prosequi numquam omittant.

2. **Omnium requiritur cooperatio.** — Itaque omnes et singulos Ordinis seraphici sequaces, pro sua quisque parte, prout in hisce Statutis indicatur, huic egregio operi ex animo contribuere decet et necesse est. Nulla Provincia, etsi Missionem specialiter demandatam non habeat, ab effectiva cooperatione ad apostolatum inter acatholicos, qua precibus, qua vocationibus, qua procuratis ad hoc eleemosynis, exemptam sese habeat; sed ad praestantissimum hunc apostolatus finem pro viribus collaborare omnibus sanctum esto.

3. **Auctoritas Ministri generalis.** — Licet omnes Missiones a Sede Apostolica dependeant, tamen quoad disciplinam regularem Minister generalis supremus in Ordine moderator est. Cui quidem omnes missionarii Missionumque regulares Superiores et administratores (etiam qui

a propria Provincia fuerint electi) teneantur firmiter obedire in omnibus sive generalibus sive specialibus ordinationibus aut dispositionibus quae vitam religiosam spectant Missionisque prosperitatem.

4. **Munia Ministri generalis.** — Ipsi competit, sive seorsim sive una cum Revmo Definitorio, prout fert materia:

a) Missiones acceptare, resignare, aut, ubi utilitas postulaverit, pro earum divisione instare;

b) ordinationes Provinciarum, quae ad vitam regularem spectant, pro concreditis sibi Missionibus examinare, emendare et approbare; Superiores regulares instituere aut confirmare, eisque per litteras patentales illam auctoritatem et potestatem committere quae ipsi visa fuerit committenda (Const. gen. n. 654);

c) aspirantibus ad Missiones solidam educationem procurare et formationem huic vocationi consentaneam; in hunc finem apta media Provinciis praescribere ipsorumque applicationem urgere; collegia Missionum, pro necessitate, in Ordine erigere et visitare, eorumque recto regimini sollicite providere, tum apta praefigendo programmata, tum selectos praeponendo rectores et docentes;

d) aspirantium petitionem excipere et de eorum vocatione, iuxta informationes a Ministro provinciali et aliunde acceptas, iudicare et statuere, eosque postquam sufficienter probati fuerint et instructi, ad Missiones ex S. Congregationis de Propaganda Fide auctoritate destinare; item inter infideles iam laborantes, servatis servandis, ex una in aliam Missionem mittere aut a Missione revocare;

e) Missiones et missionarios (salvis, quoad curam animarum, iuribus Superioris ecclesiastici) in omnibus quae quomodocumque spectant ad disciplinam regularem et vitam religiosam, per se vel per alium, ad normam Const. gen. n. 605 et seqq., singulis trienniis visitare, Fratresque monere, corrigere et ad actuosum apostolatum stimulare;

f) Roganti S. Congregationi de Prop. Fide proponere nomina Fratrum quos, diligenti praemissa investigatione,

tum virtute et pietate, tum zelo, capacitate et agendi dexteritate, digniores in Domino repererit qui ad regimen ecclesiasticum qua Vicarii aut Praefecti Apostolici promoveantur;

g) cum Vicariis et Praefectis Apostolicis de mediis agere ad prosperitatem et splendorem Missionum nostrarum conducentibus;

h) efficere ut de subsidiis materialibus Missionibus sufficienter provideatur, atque ad hoc singularum Provinciarum contributiones urgere.

5. **Secretaria Missionum.** — Minister generalis habebit specialem Secretarium pro Missionibus ab ipso Ministro generali cum suo Definitorio eligendum et a S. Congregatione de Propaganda Fide confirmandum. Qui in Secretarium Missionum assumitur, specialem de negotiis Missionum experientiam et cognitionem habeat oportet. Ipsius erit, praeter quotidianam negotiorum occurrentium expeditionem, sub Ministri generalis eiusque Definitorii immediata dependentia,

a) negotia Missionum cum S. C. de Propaganda tractare;

b) quaecumque ad Missiones spectant earumque prosperitatem et progressum tam in Provinciis quam in ipsis Missionibus, prudenter sed efficaciter procurare et urgere;

c) de statu Missionum nostrarum in genere et uniuscuiusque in particulari, de earum progressu vel regressu, de obstaculis et mediis, de cooperatione Provinciarum, de statu Unionis Missionariae, quotannis Revmo Definitorio in scriptis referre;

d) archivi Missionum sollicitam curam gerere;

e) elenchum nominativum omnium missionariorum, necnon cuiuslibet tum ut religiosi tum ut missionarii statum informativum pro viribus exactum, ad manum habere;

f) conspectum annuum Missionum nostrarum et fructuum spiritualium in *Actis Ordinis* publicari curare.

g) eleemosynarum pro Missionibus acceptarum exactam rationem tenere, easque ad respectivam destina-

tionem tempestive transmitti curare, aut iuxta acceptas instructiones administrare et expendere.

h) Superioribus Provinciarum aut Missionum, imo singulis missionariis pro omni utili informatione operam libenter commodare.

Caput II.

De Provinciarum ad Missiones cooperatione.

6. **Missiones determinatis Provinciis attribuantur.** — In votis habet S. Congr. de Prop. Fide ut, quantum fieri potest, Missiones Ordini concreditae inter varias Provincias ita distribuantur, ut unaquaeque Missio committatur uni vel pluribus Provinciis unius nationis et indolis. Solent enim Provinciae de Missione sibi specialiter commissa magis sollicitae esse, et missionarii eiusdem originis et formationis maiori cum alacritate et animorum concordia laborare.

Ad Definitorium porro provinciale spectat Missionem aut partem Missionis a S. Congregatione per Ministrum generalem oblatam (nisi obstent graves rationes) debita cum submissione acceptare, aut acceptatam resignare, necnon rationes eam resignandi aut mutandi Ministro generali exponere eiusque iudicio acquiescere.

7. **Quomodo accipienda sit haec attributio.**

a) Qui regiones infidelium qua missionarii adire cupiunt, generatim ad Missionem propriae Provinciae (nisi ob gravia motiva aliter visum fuerit) mittentur.

b) Cum dicta Provincia vocationes habuerit sufficientes, ita ut commissae sibi Missioni sola providere queat, novelli aliarum Provinciarum missionarii ad alias Missiones auxilio indigentes mitti iam poterunt.

c) Aliarum Provinciarum religiosi, si qui iam sint in tali Missione laborantes, non ideo Missionem hanc aut relinquant quasi non amplius suam, aut aliam petant quae propriae Provinciae fuerit assignata. Nam familiam unam et quamdam quasi communitatem unaquaeque Missio in

Ordine constituit, ad quam omnes et singuli missionarii ibidem laborantes, aequali prorsus iure et nullo interiecto privilegio aut differentia, pertinent. Si quandoque specialia adfuerint motiva huic regulae derogandi, casus subiiciatur iudicio Ministri generalis.

8. **Relationes Provinciam inter et Missionem sibi commissam.** — Quamdiu fere omnes missionarii eiusdem non sunt Provinciae, i. e. quamdiu ultra septimam partem aliarum Provinciarum sunt alumni, Missio sub sola et directa dependentia manet Ministri generalis eiusque Definitorii.

Si autem fere omnes ad Provinciam pertinent cui concredita est Missio, obligationes oriuntur et iura sequentia:

a) quando Missioni providendum est de Vicario aut Praefecto Apostolico, candidati ordinarie assumentur ex missionariis Provinciae. Ad hunc finem Minister provincialis cum suo Definitorio opportunas informationes praebebit Ministro generali circa candidatos quos coram Deo aptiores iudicaverint (cfr. n. 16).

b) Definitorii provincialis est, post acceptum a singulis missionariis votum consultivum de candidatis, Commissarium eligere seu Superiorem regularem omnium Fratrum in praefata Missione degentium (cfr. n. 20 seqq.), eique duos Consiliarios adiungere (cfr. n. 31).

c) Missionem (tam loca quam personas) interdum utiliter visitabit Minister provincialis; non tamen sine praevia licentia et delegatione Ministri generalis, cuius nomine et auctoritate visitationem quoque peraget missionariorum, si qui sint, ad alias Provincias pertinentium.

d) Ad rectum spiritum in Missione promovendum Minister provincialis cum suo Definitorio poterit quasdam ordinationes condere; quae tamen nihil contineant hisce Statutis contrarium et a Definitorio generali sanciri debeant.

e) Minister tamen provincialis, secluso gravi motivo (et tunc Ministrum generalem consulat), in Missione non agat nisi per Superiorem regularem.

f) Provinciae est per aptam educationem religiosam et missionariam, sive in scholis Provinciae sive in S. Antonii aut alio Ordinis collegio missionario, missionarios praeparare idoneos et sufficientes, tum ad curam animarum in christianitatibus iam existentibus exercendam, tum ad Fidem inter infideles praedicandam.

g) Item de adminiculo subsidii materialis sollicita sit Provincia et, pro viribus, tum sustentationi suorum missionariorum tum operibus illis concreditis contribuat.

h) Quoties Minister provincialis ex acceptis informationibus iudicaverit necessarium aut utile, ut missionarius definitive aut ad tempus revocetur in Provinciam aut ad aliam Missionem transferatur, ipse rationes exponet Ministro generali, qui (praevia licentia S. Congr. de Prop. Fide, ubi de definitivo reditu missionarii apostolici agatur) illum revocabit aut alio mittet.

i) Manente missionariis libertate directe scribendi ad Ministrum generalem, omnino expedit et decet, ut ipsi per litteras cum suo Provinciali frequenter communicent. Semel in anno mense Ianuario, brevem relationem annui laboris sui apostolici eidem mittant. Superior regularis respectivo Provinciali accuratam relationem de statu totius Missionis singulis annis communicet. In rebus gravioris momenti Provincialem consulere non omittat.

j) Minister provincialis in libro ad hoc destinato nomina consignet missionariorum, nec non tempus quo missi fuerint aut ex Missione redierint aut in ea obierint. Notabit quoque clariora gesta missionariorum, fructus sacri ministerii et praecipuos eventus Missionis.

9. Illae Provinciae quae nullam Missionem aut Missionis partem sibi demandatam habent, meminerint se a cooperatione personali et reali ad apostolatum minime excusari. Earum autem contributiones Ministro generali transmittantur, qui de iis in singulis casibus disponet, habita ratione maioris indigentiae Missionum, et, quoad vocationes ibi occurrentes, inclinationis quoque aspirantium.

Caput III.

De Superioribus ecclesiasticis eorumque auxiliariis.

10. **Duplex auctoritas** in Missionibus quae religiosis concreduntur, ex voluntate legislatoris (Can. 296; Const. gen. 651) habetur: *ecclesiastica* una, cui incumbit cura animarum; *religiosa* altera, cuius est tueri disciplinam regularem.

11. **Qua missionarii** igitur Fratres in Missionibus degentes subsunt Ordinariis locorum, i. e. Episcopis, Vicariis et Praefectis apostolicis, sive hi ex Ordine nostro sint, sive non. Horum iurisdictioni, visitationi et correctioni subiacent in iis omnibus quae pertinent ad Missionum regimen, curam animarum, Sacramentorum administrationem, scholarum directionem (cfr. n. 15), oblationes intuitu Missionis factas, implementum piarum voluntatum in favorem eiusdem Missionis (cfr. Can. 296 § 1. Item pro diversitate adiunctorum, cfr. Can. 295, 297, 298, 307, 630, 631).

Superiorum ecclesiasticorum dignitatem auctoritatemque summopere revereantur missionarii, eisque obedientia *canonica* se obstrictos esse sciant. Nihil novi in cura animarum, illis inconsultis, aggredi praesumant. Ipsos ea, qua par est, veneratione et honore prosequantur et excipiant, praesertim venientes in ecclesiam proprii districtus; functionesque sacras peragentibus assistant atque ministrent.

12. Vicarii et Praefecti Apostolici *ad Ordinem pertinentes,* non ideo neque minori neque maiori in Missiosionibus Ordinis potestate pollent: pendent enim directe a S. Congr. de Prop. Fide, a qua iisdem ac alii Ordinarii donari solent facultatibus. Igitur *iuridice* distincta manet duplex auctoritas, perinde ac si praelatus ecclesiasticus ex Ordine non esset.

13. Attamen pro speciali quo erga nostram Religionem obnectuntur vinculo, decet omnes Fratres eos parti-

culari prorsus obsequio filialique prosequi affectu; sicut et ipsos vicissim auctoritatem religiosam eiusque liberum in Fratres exercitium tueri par est. In negotiis maioris momenti, unde praecipue in Ordinem onera derivarentur aut notabilis mutatio in Missione nobis credita introduceretur, prius Superiores Ordinis certiores reddere et cum ipsis convenire dignentur. Instanter quoque rogantur ut annuum conspectum Missionis necnon fructuum spiritualium, quem S. Congregationi de Prop. Fide exhibere tenentur, etiam Ministro generali sive directe sive per Superiorem regularem communicent, addendo simul desiderata sua aut tales animadversiones quas, etiam circa vitam religiosam et disciplinam regularem, a Ministro generali utiliter cognosci iudicaverint.

14. Ad ministeria curam animarum concernentia tum ad curanda pia Instituta quae sunt in Ordinarii potestate, destinatio personarum, quas Superior regularis praesentat, et collatio iurisdictionis pertinet ad Superiorem ecclesiasticum; amovere vero quempiam ab officio uterque potest, iuxta Can. 454, § 5.

15. Quoad muneris missionarii exercitium si aliter a Superiore, aliter a Vicario (aut Praefecto) decerni contingat, huius decretum exsequendum est. Si quae scholae a religiosis nostris, servatis servandis, eriguntur et sustentantur, quoad auctoritatem et inspectionem Ordinarii servetur ius commune, iuxta Can. 1381, 1382.

16. **Modus praesentandi candidatos.** — Electio Superioris ecclesiastici spectat ad S. Sedem; ideo statim ac vacaverit Vicariatus (aut Praefectura), Provicarius (aut Propraefectus) moneat S. Congr. de Propaganda Fide. Superior etiam regularis de superveniente vacatione certiorem faciat Ministrum generalem; simulque significet omnibus Patribus missionariis, etiam indigenis, ut unusquisque separatim et secreto informationes mittat Ministro generali, tres illos Patres indicando quos quisque coram Deo aptiores, tum ob zelum et pietatem, tum ob capacitatem et rerum experientiam existimat qui in regimine Missionis succedere possint.

Si Missio alicui Provinciae commissa est, etiam Definitorium provinciale tres candidatos Ministro generali praesentet.

Quibus acceptis informationibus, Minister generalis quos omnibus perpensis aptiores iudicaverit, S. Congregationi, eius rogatu, proponet.

Ubi agitur de adlegendo coadiutore cum iure successionis, eadem procedendi ratio servetur.

17. **Provicario aut Propraefecto,** qui deficiente Vicario aut Praefecto regimen Missionis assumet (Can. 309), item Vicario Delegato qui, ad instar Vicarii generalis, loci Ordinario in administratione Missionis auxilio est (*Act. Ap. Sed.* 1 April. 1920), specialis debetur reverentia, et quatenus ii vices Ordinarii gerunt, eadem ac ipsi obedientia.

18. **Vicarii foranei** in nostris Missionibus optantur *effectivi*, cum obligationibus et officiis huic muneri inhaerentibus (Can. 445–450). Oculi quasi sunt et aures Ordinarii loci saepe nimium distantis, eiusque in negotiis, praesertim suae cuiusque foraniae, adiutores et consiliarii. Quibus proinde confratres missionarii reverenter deferant, eos in difficultatibus consulant et a nimia independentia caventes, dociles sequantur eorundem consilia.

Caput IV.

De Superiore regulari eiusque consilio.

19. **Electio Superioris regularis.** — Omnes missionarii regulares in iis quae pertinent ad vitam religiosam et disciplinam internam nostri Instituti, unice dependent a proprio Superiore regulari. (Can. 296 § 2).

20. Ideo pro unaquaque Missione ad determinatam Provinciam pertinente eligatur in Capitulo provinciali aliquis missionarius in Commissarium seu Superiorem omnium Fratrum in praefata Missione degentium, dummodo fere omnes ad eandem provinciam pertineant, eique adiungantur saltem duo Consiliarii in Capitulo instituendi. Quae electio a Ministro generali est confirmanda.

21. In Missionibus nulli determinatae provinciae concreditis, aut ubi missionarii ultra septimam partem ad aliam vel diversas pertinent provincias, Commissarius et Consiliarii eligantur a Definitorio generali.

22. **Vota consultiva Missionariorum.** — Pro Superioris regularis electione, missionarii singuli tres Patres proponere debent cum opportunis informationibus, sex mensibus ante expletum dicti Superioris triennium. Proinde hic tempore opportuno, missionarios monebit de proximo fine sui officii ne electio retardetur. Rogantur Vicarius et Praefectus Apostolicus ut et ipsi vota sua mittere dignentur.

Quae vota consultiva directe mittantur Ministro provinciali si electio a Capitulo provinciali fieri debet; secus Ministro generali.

23. **Professio fidei - Duratio officii.** — Commissarius quamprimum post exceptum nuntium suae institutionis, professionem fidei coram duobus saltem missionariis sibi subditis emittere debet. — Officium eius ad triennium perdurat; quo tempore elapso, confirmari poterit ad alterum et tertium triennium tantum.

24. **Commissarii auctoritas et potestas** ea est quae ipsi commissa fuerit (Const. gen. 654). At nisi de contrario constet, ipsi commissa censetur potestas ad instar Provincialis, cum omnibus facultatibus quas iuxta Constitutiones Ordinis et Decreta apostolica habet Provincialis in sua provincia, excepta admissione ad Ordinem, ad professionem et ad Ordinationes. Nullus frater in Missione illa degens ab eius iurisdictione exemptus est, sed omnes in omnibus ei subesse debent quae respiciunt regularem observantiam et vitam religiosam.

25. Quaenam inter Ordinarium loci et Superiorem regularem intercedat mutua relatio, pro nonnullis casibus determinatur in C. J. C. Can. 296 § 2, 297, 298, 307, 454 § 5, 456, 630, 631. Cfr. supra n. 14, 15. De cetero, salvis propriis cuiusque officiis et iuribus (et haec eadem prorsus distinguuntur ac inter Provincialem et Ordinarium loci), missionariorum bonum postulat ut Superior regularis et Superior ecclesiasticus unanimes sint in Missio-

num utilitate, collatis viribus consiliisque, procuranda: quod quidem enixe commendatum volumus. Ideo Superior regularis ex parte sua maximi semper faciat desideria et vota Superioris ecclesiastici, ipsi morem gerat, libenter acquiescat, totisque viribus intentionibus eius in Missionis regimine obsecundet.

Ubi vero manifesta utilitas Fratrum aut necessitas disciplinae regularis aliud suadeant, id reverenter et simpliciter Superiori ecclesiastico proponat et explicet antequam agat. Ubi de re maioris momenti agitur, Superioribus Ordinis generalibus aut provincialibus negotium aperiat, eorumque decisiones exspectet.

Ceterum summopere optandum ut Vicarius et Praefectus Apost., attentis particularibus suae Missionis circumstantiis, pro sua prudentia et salvis suis iuribus, consilio et opera Superioris regularis utantur: ut ita intimior evadat utriusque collaboratio et facilior negotiorum expeditio.

26. **Commissarii obligationes et munia.** — Haec tam salutaris auctoritas regularis nequaquam sit titulus vacuus et nomen sine re; sed vitale quoddam principium quod, cordis instar, motum simul et calorem toti communicet corpori.

Ante omnia inter missionarios, qui cuncta generose pro Christo reliquerunt et pro lucro animarum a patria longe exulantur, amantissimi Patris partes agat. De bono corporali simul et spirituali filiorum suorum maxime sollicitus, maternis visceribus eorum necessitatibus satagat occurrere, laborantibus animum addere, doloribus compati. Quantum per facultates licuerit, ita omnibus providere curet, ut neque superflua permittantur neque necessaria denegentur. Quinimo eumdem hortamur ut, humanae infirmitati compatiens, fratres suos interdum moneat ut sibi proprias necessitates aperire velint.

27. **Annua visitatio.** — Singulis annis, quantum fieri potest, suos subditos eorumque residentias et stationes *visitet*, ut praesens eorum vitam et necessitates cognoscere queat. Prudenter investigare curet de eorum fidelitate in adimplendis exercitiis spiritualibus, de oratione praesertim

mentali quotidiana, de perfecta votorum observantia, de prudentia et circumspectione in agendo cum saecularibus, maxime cum mulieribus, de nitore sanctuarii et rubricarum observantia, de zelo in procuranda salute fidelium et conversione infidelium, de eorum docilitate in servandis sive legibus Ecclesiae aut Ordinis sive Superiorum praeceptis.

Libros computationis de re oeconomica Ordinis inspiciat et ut accurate conficiantur diligenter invigilet.

Praescriptiones ceterum non multiplicet, nec sarcina observationum missionarios oneret. Attamen in exigendo ea quae necessaria sunt ut sanctificationem propriam et salutem animarum operentur, nullatenus debilem aut remissum se exhibeat; falsam libertatem in opinando aut agendo retundat et salutari disciplinae iugo religiosos assuetos teneat.

Si aliquid reprehensibile invenerit, benigne, cum caritate et sine respectu humano corrigat, ita tamen ut fiducia et reverentia populorum erga missionarios nullum patiatur detrimentum.

Si aliquid maioris momenti ordinari vel determinari contingat, diligenter adnotari curet in aliquo regesto, quod perpetuo in archivo servetur. Si vero alicuius religiosi culpas et punitiones notari occurrat, id in particulari regesto fiat et, religioso e vivis sublato, adnotata destruantur.

Si plura sunt loca aut nimium distantia quam quae singula visitare queat, illos saltem districtus obire conetur, quos Vicarius aut Praefectus Apostolicus illo anno non visitabit.

28. Particularem curam gerat Superior erga subditos debiles et infirmos; si graviter aegrotent, curet ut tempore opportuno Sacramenta recipiant. Post mortem alicuius, de sepultura facienda curet et res ad eius usum particularem pertinentes colligat; rerum autem quae ad Vicariatum aut Praefecturam pertinent, inventarium faciat et ad Vicarium aut Praefectum Apost. mittat.

29. **Annua relatio.** — Quotannis, mense Octobri, Commissarius Ministro generali (et insuper Provinciali, si Missio ad determinatam provinciam pertineat) accuratam

relationem de statu disciplinari Missionis fideliter transmittat. Quae relatio indicet singulorum missionariorum nomen, residentiam, officia, valetudinem et modum se gerendi tum qua religiosos, tum qua missionarios; nomina quoque eorum qui ab ultima relatione in Missionem venerunt, aut inde abierunt aut defuncti sunt. Specialis mentio fiat de iis qui infirmitate laborant, qui minus digne ambulant, necnon de iis qui, ratione zeli, capacitatis et prudentiae, peculiari laude digni sunt. Referat praeterea de exercitiis spiritualibus a singulis peractis, de observantia votorum et fraternae caritatis, de relatione religiosos inter et clerum saecularem vel indigenam, de fama qua gaudent religiosi nostri apud saeculares, et an in Missione habeantur difficultates speciales. Indicet tandem statum oeconomicum dati, accepti et residui.

Relatio haec a Superiore et saltem uno Consiliario subscribatur et sigillo Commissarii muniatur.

Insuper Superior regularis quotannis de singulorum Missionariorum modo sese gerendi referat ad respectivos Provinciales.

30. Conspectum quoque annuum status animarum et fructuum spiritualium in Missione perceptorum (iuxta consuetam formulam), nisi a Superiore ecclesiastico id fieri sciat, ipse Superior regularis Ministro generali communicare curet.

31. **De Consiliariis.** — Superiori regulari duo saltem adiungantur Consiliarii. Pro eorum designatione singuli missionarii votum consultivum mittant ad Ministrum generalem vel provincialem respective, simul cum votis pro Commissario, cum quo in officio ad triennium perdurant. Triennio absoluto, possunt in officio confirmari.

Commissarius pro gravioribus negotiis, Patrum Consiliariorum sententiam oretenus aut per litteras exquirere tenetur et sequi, praesertim quoad delinquentium externam graviorem punitionem, novorum onerum acceptationem etc.

Semel saltem in anno Superior insimul convocare debet suos Consiliarios, tractaturus de negotiis Missionis, et illis rationem reddere de Missarum oneribus impletis et implendis, et de omnibus acceptis et expensis. Haec

omnia a Consiliariis revisa et approbata propriaque manu subsignata in archivo serventur.

Si aliquando e Missione egredi debeat Superior, unum e Consiliariis Delegatum instituat, qui eius vices gerat; talis vero Delegatus tempore sui regiminis innovationes facere non potest.

Eveniente, quacumque ex causa, officii Commissarii vacatione, antiquior in Missione Consiliarius officium assumat et Ministrum generalem statim moneat et, si Missio alicui Provinciae est concredita, etiam Ministrum provincialem, ut definitive Fratrum regimini provideatur; mutationes vero notabiles non faciat.

Mortuo aliquo Consiliario vel ab officio cessante, antiquior inter missionarios Ordinis suppleat locum eius, usquedum Minister generalis aliter disponat. Antiquitas semper computatur a tempore admissionis in Missione.

32. **De Visitatore generali Missionum.** — Definitorii generalis est iudicare num et quando, pro regionibus ubi plures Missiones Ordini nostro concreditae existunt, expediat *Visitatorem* delegare, cuius auctoritas in Missionibus illis nonnisi post triennium exspiret. Huius Visitatoris erit, iuxta instructiones a Ministro generali tradendas: *a)* singulas sibi adscriptas Missiones semel saltem visitare; *b)* accuratam relationem et utiles informationes circa loca, res et personas Ministro generali praesentare, aptaque suggerere media necessitatibus cuiusque Missionis occurrentia; *c)* Superiores regulares ad debitum sui muneris exercitium stimulare; *d)* Ordinarii loci desiderata excipere, examinare et cum debitis informationibus Ministro generali transmittere; *e)* unionem quamdam et collaborationem inter vicinas Missiones, intra limites sui officii promovere.

Caput V.

De Missionariis.

Eorum vocatio, formatio et vita in Missionibus.

33. **De fovendis vocationibus.** — Sollicitos sese demonstrent Superiores et confratres in detegendis et nu-

triendis vocationibus ut ad Ordinem ita et ad Missiones. Operam dent ut pueros qui indicia praebent vocationis ad Missiones peculiaribus curis a saeculi contagiis arceant, divinaeque in eis germen vocationis foveant.

Scholae speciales aut gymnasia, ubi fieri potest, in provinciis erigantur, in quibus pueri, futuri missionarii, suscipiantur et humanioribus litteris erudiantur.

34. Inter novellos religiosos, fratres praecipue clericos, inde a novitiatu et in decursu studiorum, propensio ad Missiones non solum non impugnetur, sed nutriatur et foveatur, atque supernaturali spiritu magis ac magis imbuatur.

35. **De formatione missionaria.** — Aspirantes missionarii ad tam sublimem vocationem sedulo se praeparent atque sive in Provincia sive praecipue in S. Antonii aut alio Collegio missionario debite efformentur. Cuncta in his Collegiis amorem spirent Missionum. Omnia studia ad hoc vergant ut quae sacerdoti missionario necessaria aut utilia erunt, theoretice et practice edoceantur. Bibliotheca in hunc sensum ordinetur. In labore patientiaque animi et corporis diligenter alumni exerceantur. Voluntatem propriam frangere, naturae silentium imponere et fide vivere discant. Pietatem et unionem cum Deo quam intimam totis viribus sectentur. Dotes naturales diligenter excolant. Quapropter docentes eligantur qui missionarii fuerint aut certe specialem Missionum cognitionem acquisierint.

36. Qui praepediti fuerint quominus studia theologica in Collegio missionario peragant, saltem cursum specialem unius anni ibidem, ante profectionem suam in Missiones, frequentent.

37. **De petitione adeundi Missiones.** — Qui ad Missiones destinari peroptant, implorato primum per humiles preces divino lumine, adhibitoque propriae conscientiae moderatoris consilio tam Ministro generali quam Provinciali desiderium suum in scriptis exponant, antequam per hunc litteras obedientiales impetrent a supremo Moderatore Ordinis, salvo iure directe scribendi ad normam num. 649 Const. Glium.

38. Nullus porro religiosus petens Missiones adire, inconsulto repellatur, sed e contra benigne suscipiatur et cum benevolentia examinetur an adsint verae vocationis signa, videlicet *idoneitas* physica et moralis et *rectitudo intentionis*.

39. Ministri autem provinciales de omni ad Missiones petitione quantocius proprium iudicium Ministro generali transmittere tenentur (qualecumque demum fuerit, affirmativum, negativum vel dubium) cum motivis quibus innititur. Minister vero generalis, cuius est de cuiusque vocatione iudicare, solummodo illos ad Missiones mittat, quos post exactas informationes a Ministris provincialibus vel aliunde receptas dignos et idoneos invenerit.

40. Ministri provinciales, posthabito quocumque humano respectu, sinceras exhibeant informationes, memores iudicii Dei, cui de bono non promoto et de malo non impedito ob falsas vel ambiguas informationes rationem reddituri sunt.

41. Quoties verae, indubiae et praesentes necessitates Provinciae in aliquo raro casu dilationem ad tempus exigerent, Superiores provinciales talem quoque casum ad Ministrum generalem deferant, ut de eo coram Deo decernatur. Et si dilatio concedatur, Superiores conentur quantocius confratri petenti alium substituere, ut quem Deus in apostolatum elegit, ductum Spiritus Sancti sequi sinant.

42. Non solum qui expresse petunt Missiones adire, sed et illi religiosi qui, ceteroquin idonei et recta intentione animati, ita in manus Superiorum totaliter se tradunt ut de eis, *etiam pro Missionibus*, ad libitum disponant, tanquam vere vocati haberi et in Missiones mitti possunt.

43. Qui iudicio Ministri generalis cum titulo et facultatibus *Missionarii Apostolici* in Missiones sunt mittendi, speciale ad hoc examen subire tenentur. Ministri generalis est (vi decreti 18 Dec. 1892, cfr. *Acta Ordinis* an. 1893, pag. 20 sqq.) examinatores designare. Qui duo saltem esse debent, et in attestatione ab ipsis subscripta et provinciae sigillo munita declarent se ex commissione Ministri generalis Patrem N... circa requisitas materias theologicas examinasse et idoneum ad munus apostolicum reperisse.

44. **Fratres laici** mittuntur pro domesticis officiis sub obedientia Superiorum, et simul ut saluti prosint animarum oratione et exemplo. Qui vere laboriosi, pii et humiles non sunt, nequaquam mittantur; praeferuntur qui artem aliquam calleant, Missioni utilem.

45. **Iter ad Missiones.** — Qui licentiam obtinuerint Missiones adeundi, ante discessum e Provincia abstineant ab evagationibus et dissipatione. Concedat eis Provincialis aliquot dies ad valedicendum parentibus; et reliquum temporis, per studium et exercitia spiritualia, profecturi impendant praeparationi ad munus missionarii digne obeundum. Si qui habeant facultatem colligendi eleemosynas, abstineant ab importuna quaestuatione, sed potius Procurator provincialis Missionum provideat eorum necessitatibus.

46. Missionarii itinerantes caveant a dissipatione et a nimia familiaritate cum saecularibus, sed modestia et suavitate morum populo aedificationi sint. Orationi mentali aliisque pietatis exercitiis opportunis temporibus vacent. Si plures simul iter faciant, unus ex eis constituatur Superior pro duratione itineris, cui alii humiliter obsequantur et obediant. Statim ac ad Missionem pervenerint, de expensis Superiori regulari rationem reddant, et quas residuas habuerint eleemosynas in manibus eius fideliter deponant.

47. **Studium linguae.** — Deinde, de intelligentia Ordinarii, per sex saltem menses addiscendae linguae populari necnon dignoscendis specialibus Missionis adiunctis (morum, consuetudinum, legislationis), sub directione ipsius Superioris regularis aut idonei Magistri ab ipso designati, operam potissime danto. Et illi tantum qui, facto super his examinis periculo, sufficienter instructi reperti fuerint, a Superiore regulari pro iurisdictione Ordinario praesententur.

Qua obtenta, sub directione alicuius peritioris et antiquioris missionari ad sacrum ministerium tandem applicentur.

48. Sequenti insuper triennio ad ulterius linguae studium, per annuum examen, orale et in scriptis subeundum,

adigantur, cuius materia a Superiore regulari in antecessum indicabitur, atque exitus in relatione annua cum Ministro generali et provinciali pro unoquoque missionario communicabitur.

49. Ceterum vires omnes exserant missionarii ut locorum ad quae delegantur idioma perbene discant, ne postquam omnia ad lucrandas animas reliquerunt, ob insufficientem linguae peritiam in medio messis multae (contra S. Sedis expectationem), otiosi ac inutiles remanere cogantur, aut nonnisi paucos frugum manipulos referre queant. Igitur Superiores omnem facilitatem et opportunitatem linguae addiscendae eis procurent, et animos stimulent ut improbo tenacique labore difficultates vincant.

50. **De quibusdam pietatis exercitiis.** — Apostolico ministerio *mentalis oratio* iungi debet, qua ad virtutum incitamenta nihil opportunius, nihil ad spiritum abnegationis et sacrificii retinendum vel recuperandum magis necessarium invenitur. Fratres itaque omnes congruo tempore et loco, diebus singulis, per horam integram in orationem mentalem incumbant, cuius saltem dimidiam partem ante Missae celebrationem peragant. Qui orationem mentalem habitualiter negligere compertus fuerit, serio moneatur et nisi emendetur solus in districtu residere non permittatur.

51. Semel in hebdomada, si adsit copia confessarii, secus saltem *semel in mense, rite confiteantur* apud quemlibet confessarium approbatum, sive regularem sive saecularem, a quo etiam a casibus in Ordine reservatis directe absolvi possunt.

52. Lectionem spiritualem quotidie faciant. Ubi duo vel plures insimul fuerint, in mensa semper fiat brevis lectio ex Scriptura sacra vel ex libro *De Imitatione Christi.*

In residentia ubi SSmum asservatur, observent omnes consuetudinem Religionis eundi in ecclesiam pro *visitatione SS. Sacramenti* et pro examine conscientiae.

53. Pium *Viae Crucis* exercitium feria VI vel alia hebdomadae die non omittant; *Coronam septem Gaudiorum B. M. V.* in Ordine nostro celebrem et a SS. Ponti-

ficibus caelestium munerum largitione decoratam, pro sua in Deiparam pietate, diebus singulis recitare studeant.

54. Quotannis ad *exercitia spiritualia* per octo integros dies in communi peragenda conveniant, loco et tempore a Superiore statutis, cauto ne interim cura animarum detrimentum patiatur. Ubi circumstantiae ita suaserint, exercitia poterunt tradi bis vel ter in anno, diversis in locis quo missionarii viciniores facilius convenire queant.

Impediti ob causam a Superiore regulari probandam, privatim ea peragere tenentur. Exercitiis praesideat ipse Superior regularis vel missionarius ab eo designatus, qui interdum ex alia Missione utiliter invitabitur.

55. Hac quoque occasione recessus Superior regularis quae monenda sunt moneat, corrigenda corrigat, et Fratrum desiderata benigne excipiens, de necessitatibus Missionum cum ipsis conferat et omnibus animum addat.

56. Valde opportunum et utile foret ad pietatem et fraternam dilectionem confovendam, missionarios semel in mense convenire apud suum Vicarium foraneum, ad *recollectionem menstruam.* Ubi hoc difficulter fieri potest, saltem privatam recollectionem menstruam habeant, et in fervore spiritus, in annuo recessu concepto, se renovent.

57. **De observatione votorum et regulae.** — Missionarii prompte pareant suis Superioribus tam regularibus quam ecclesiasticis, et officia sibi iniuncta fideliter exsequantur.

Servanda praeterea sunt, tam a Superioribus quam a subditis, Sanctae Sedis decreta, sive generalia, sive pro respectiva Missione data. — Sanctam nostram Regulam ubicumque per circumstantias licuerit cum amore servent missionarii; si aliqua dispensatione permanenti indigeant, recurrant per Commissarium ad Ministrum generalem; dispensationibus, non abutantur, memores apostolici illius effati: « omnia mihi licent, sed non omnia expediunt ».

58. Quoniam non a malo tantum sed a mali etiam specie cavendum nobis est, praecipimus omnibus et singulis,

ut studiose declinent *consortia*, familiaritates et conversationes ex quibus mali suspicio oriri potest, tametsi candido animo fiant; atque huic rei Superiores particulariter invigilent. — Numquam ad cubiculum privatum missionarii accessum habeant mulieres, neque extra conspectum aliorum solus cum sola loquatur. Pro servitio personali missionarii excluduntur mulieres, et servus adhibitus quantum possibile maturae esto aetatis. Confessionalia iuxta praescripta ecclesiastica instructa sint. Dignitatem sacerdotalem magni facientes, missionarii alios ne per iocum quidem facile tangant.

Qui de suspectis consortiis notatus fuerit et, paterne admonitus, non se correxerit, severe puniatur ad normam Const. gener. n. 373. — Qui scandalum dederit, saltem e districtu prorsus amoveatur.

59. Quamvis missionarii quibusdam necessariis dispensationibus quoad rerum et pecuniae usum fruantur, nihilominus in ipso *voto paupertatis* nulla data fuit umquam relaxatio. Ideoque neque in communi neque in particulari ullius rei proprietatem habere possunt. Nemini ergo liceat pecunias, etsi intuitu personae datas aut parcimonia et industria propria comparatas, suas facere aut vigilantiae Superiorum subtrahere aut de iis ad libitum disponere. Abusus in contrarium, si qui alicubi irrepserint, condemnantur prorsus et proscribuntur.

60. Rerum *usum pauperem* aut moderatum statui nostro congruentem, neque quantitate neque qualitate umquam excedant missionarii. Omnes expensas superfluas aut vanam gloriam redolentes, studiose devitent. — Domicilium mutantes nonnisi quae ad usum stricte personalem concessa fuere (puta vestimenta, libros etc.) secum portare permittantur. Missionariis severe prohibita manet negotiatio quaestuosa qua emuntur res ut carius revendantur, etiamsi exerceretur per personam interpositam aut pro operibus piis.

61. Qui non habent *intentiones Missarum*, quotidie celebrent ad intentionem Superioris regularis. Omnibus autem conceditur bis in mense libera applicatio pro suis

vel alienis necessitatibus. Pro Propagatione Fidei, pro opere S. Infantiae, et pro benefactoribus Missionis vivis atque defunctis quisque bis in anno celebret. Qui parochi sunt aut quasi-parochi, Sacra *pro populo* a Iure praescripta, exacte applicent.

Omnes Missas sive a Superiore regulari, sive aliunde acceptas cum adiectis stipendiis, item quas Missas persolverint, in libello ad hoc destinato diligenter adnotent, quem tenentur quotannis exhibere Superiori regulari simul cum attestatione subscripta de fideli applicatione facta Missarum sibi commissarum.

62. **De labore et studio.** — Otium, malorum sentinam, virtutis pestem et vivi hominis sepulturam maxime detestantes, semper honestis et proprio ministerio competentibus laboribus occupentur. Recordentur otiositatem ideo evadere missionario periculosiorem, quia plerumque solus sibi relinquitur. — Si qui notabiliter otio dediti fuerint, aut neglecto proprio ministerio, in variis occupationibus ad libitum tempus terere soleant, debite moneantur, et, nisi sese emendaverint e Missione dimittantur.

63. Missionarius laborem quotidianum sapienter distribuat iuxta *horarium* sibi a Superiore regulari praefixum, in quo praecipue oratio mentalis necnon tempus pro divino officio recitando, in tuto ponantur; reliquum tempus in varias occupationes insumatur ministerii sacri, in tradendum inprimis catechismum pueris et rudibus, in visitationem infirmorum et christianitatum, in concionum praeparationem. — Theologiae, moralis praesertim et pastoralis, studio indefessam navent operam, quod eo magis sibi necessarium sciant, quia occasio doctiores consulendi saepe deerit et praescriptiones theologiae positivae, nisi frequenter memoria refricentur, oblivione facile delentur. — De una alterave ephemeride ecclesiastica Superiores provideant, quod Missionariis successive legendum tradatur.

64. A periodica *solutione casuum* conscientiae nemo sit exemptus. Superioris regularis est invigilare, ut solutiones (quas scriptas sibi transmitti iubeat) non obiter fiant vel negligenter, sed diligenti elaborentur studio.

65. Iuniores sacerdotes, iis tantum exceptis qui a Superiore regulari gravem ob causam fuerint exempti, aut qui vel sacram theologiam vel ius canonicum, vel philosophiam scholasticam doceant, post absolutum studiorum curriculum quotannis, saltem *per quinquennium*, a doctis gravibusque patribus *examinentur* in variis doctrinae sacrae disciplinis antea opportune designatis (Can. 590, C. G. 265).

66. **De caritate fraterna.** — Ubique, sed praesertim ubi Fratres ex variis nationibus vel Provinciis simul in Missionibus Deo famulantur, decet eos firmiter persistere in amore fraternitatis, ut sentiant et exemplo doceant quam bonum et iucundum sit habitare fratres in unum. Quare omnino prohibemus ne invicem contentiones ineant super regnis, regionibus et gentibus, sed potius secundum Regulam sint mites, pacifici et modesti, mansueti et humiles, honeste loquentes omnibus, sicut decet. Erga clerum quoque indigenam omnem caritatem exhibeant, honore eum praeveniant et cuiusvis aemulationis aut dissensionis fomitem penitus respuant.

67. **De zelo pro conversione infidelium.** — Quum gentilium conversio ad Christum Dominum finis praecipuus Missionum exsistat, ad eam toto animo intendant missionarii. Huic fini cuncta cedant, omnia inserviant; quodquod obstaculum illico removeatur, omne medium aptum avide appetatur et adhibeatur.

Iniquo infidelitatis regno magnum fortemque semper missionarius animum opponat; perpetuo velle et constanter eniti debet ut omnibus paganis, quotquot sunt qui ad ipsius districtum pertinent, media salutis saltem offerat, et secundum hanc intentionem omnia pro viribus deliberet ac disponat. Animum numquam despondeat, parva lucra non despiciat, neque de uberiore messe habenda desperet. Voluntatem laborandi et semper nova tentamina exhibendi in se acuat et stimulet, neque sola cura gregis iam fidelis sit contentus qui potissimum ad conversionem infidelium missus fuit.

68. **Politicarum atque temporalium rerum curis** in favorem nationis suae vel etiam alterius nemo sese

umquam admisceat; sed omnes hoc unum prae oculis habeant supremum sanctumque negotium: animarum nempe lucrum assequendum Deique gloriam ubique totis viribus propagandam (Instruct. S. C. de Prop. Fide, 7 Ian. 1920).

69. **Itinera** extra proprium districtum (nisi forte ad loca immediate vicina) non faciant sine Superioris regularis venia, et si diutius abfuturi sunt, requiritur etiam licentia Ordinarii.

70. **Habitum religiosum** non deponant nisi necessitas id postulet et adsit legitima licentia; quam pro casibus particularibus Superior regularis concedere poterit; secus Ministri generalis licentia requiritur (Const. gen. 656). Ubi autem ex tali dispensatione veste saeculari utuntur missionarii, in quantum fieri potest talaris sit et tum quoad colorem tum quoad qualitatem modestiam religiosam prae se ferat; missionarii ubi circumstantiae id permittant (de quo Superioris est iudicare) domi vestimentum deferant, si non materia, forma saltem et colore habitui Ordinis simile.

71. **Praecedentiae ordo** inter religiosos missionarios sequens determinatur: 1. Superior regularis; 2. Provicarius aut Propraefectus (nisi de facto supremum regimen Missionis ad interim teneat: tunc enim primum locum occupat); 3. Vicarius Delegatus; 4. Consiliarii; 5. Vicarii foranei in proprio districtu; 6. ceteri sacerdotes; 7. Fratres laici secundum ordinem professionis simplicis.

Inter evangelicos operarios sive indigenas sive europaeos, ceteris paribus, sed nulla adnexa praecedentia titulo missionarii apostolici, praelationis ordo ex antiquiori Missionis exercitio servetur (S. C. de Prop. Fide 23 Nov. 1845); qui ordo pro iis qui ex uno Vicariatu in alium transierunt, a priori suo adventu in Missionem computandus est (S. C. Prop. Fide 23 Aug. 1907).

72. Missionarii *indigne ambulantes* primum admoneantur et corrigantur a respectivis Superioribus. Emendatione autem non secuta, Ministro generali denuntientur, ut, servatis servandis, a Missione revocentur. Semel revocati non amplius in Missionem mittantur.

73. Fratres ex Missionibus *stabiliter reversi*, quam primum barbam deponant, nec amplius ulla dispensatione vel privilegio missionariorum uti praesumant.

Si qui *ad tempus* ob legitimam causam et habita Ministri generalis venia (non facile petenda ante duodecim annorum ministerium expletum) revertantur, Superiori provinciali in omnibus sunt subiecti, sicuti ceteri religiosi, nec valent uti dispensationibus aut privilegiis sibi pro territorio Missionis concessis. Quare idem Superior eis assignet conventum, in quo spiritualiter et physice sese reficere queant.

74. **De residentia regulari.** — Quamprimum fieri poterit, una saltem in unoquoque Vicariatu instituatur residentia regularis in loco aliquo centrali et accessus facilis. In illa commoretur Superior regularis, dùm propter officium aut sacrum ministerium non est in itinere; ibique, quum recedit, alium idoneum Patrem, qui vices suas qua Superior localis gerat, designet.

Pro huiusmodi residentia determinanda, Superior regularis, auditis Consiliariis, agat cum Vicario Apostolico. Quodsi eius canonica erectio (Const. gen. n. 315) tamquam domus Ordinis obtineri nequeat, nil impedit quominus aliqua residentia, quae sit et maneat proprietas Missionis, dicto scopo adsignetur.

75. In hac residentia, si possibile est, Fratres exercitia spiritualia quotannis peragant, aut venientes seorsum, interdum paululum requiescant. — Ibi quoque fraterna cum caritate recipiantur infirmi, senes, et qui consentiente Vicario Apostolico cum Maria ad pedes Domini ad tempus sedere cupiunt vitaque frui religiosa. Ibidem Regula et Constitutiones, in quantum circumstantiae permiserint, exacte observentur et quam simillima imago vitae nostrae religiosae referatur.

76. Si residentia sit in aliquo loco ubi sunt christiani, nihil obstat quominus habeat ecclesiam publicam cum adnexa cura animarum.

77. In residentia regulari sit *bibliotheca* Ordinis in commodum et usum missionariorum, quantum eleemosynae

permittunt; nullus sive Superior sive subditus sub gravi poena quomodolibet distrahat libros ad bibliothecam pertinentes. Extra residentiam commorantes poterunt necessarios sibi libros et pro tempore tantum necessitatis, de licentia Superioris, ex bibliotheca in precarium usum accipere.

78. Item habeatur ibi *archivum*, in quo omnes scripturae et documenta, memoria digna, quae ad Ordinem spectant, reponantur et diligenter custodiantur. Sit etiam idoneus Pater, a Superiore regulari designatus, qui rerum notabilium in Missione occurrentium annales fideliter describat.

79. Singuli missionarii curam animarum habentes in *diario* propriae residentiae consignent breviter facta, in districtu vel opere sibi credito occurrentia, quorum cognitio successoribus utilis esse poterit. Inibi abstineatur prorsus a ferendo iudicio de ulla persona adhuc vivente; sed sola prorsus facta veridice referantur ad finem intentum pertinentia. Diarium diligenter custodiatur et successori fideliter tradatur, illudque Superior regularis, in visitatione annua, inspicere non omittat.

80. Si quis indigena petierit vitam nostram ac regulam accipere et fundata sit spes seriae vocationis, Superior regularis rem ad Ministrum generalem referat, qui pro sua prudentia in singulis casibus providebit.

81. **De suffragiis defunctorum.** — Fratres in Missionibus suffragia pro defunctis Summo Pontifice, Cardinali Protectore, Ministro, Ex-Ministro et Procuratore generali, a Const. gen. 177-180 praescripta, fideliter persolvant, omissis tamen Missis cantatis, si facile haberi nequeant. Insuper pro Cardinali Praefecto S. Congr. de Prop. Fide, pro Vicario (Praefecto) Apostolico, pro Pro-Vicario et pro singulis missionariis serventur usus iam vigentes in unaquaque Missione. Pro Superiore regulari eadem fiant suffragia ac pro Pro-Vicario.

82. Statim ac mors alicuius missionarii acciderit, Superior regularis tam missionarios quam Ministrum generalem et proprium defuncti Provincialem moneat, ut pro illius anima suffragia praescripta et consueta peragantur.

83. Missionarii pro defunctis suae Provinciae confratribus, suffragia in Provincia consueta in quantum possibile persolvant; Sacerdotes vero qui Missas praescriptas in tali casu applicare nequeunt, saltem per alia pia opera (v. g. per recitationem Officii Defunctorum, Coronae franciscanae, stationem SS. Sacramenti et visitationem S. Viae Crucis) animae defunctorum confratrum suorum suffragari non omittant.

Pro defuncto patre aut matre alicuius missionarii una saltem celebretur Missa ex parte Missionis.

Caput VI.

De re oeconomica.

84. **Distinctio bonorum.** — Ad rectam rerum temporalium administrationem in Missione necessariarum, distinguenda sunt (cfr. Constit. Leonis XIII, 8 Maii 1881):

a) bona Missionis, quae per Superiorem ecclesiasticum (Vicar. aut Praefect. Apost.) administrantur, aut sub ipsius saltem vigilantia et inspectione posita sunt (Can. 296 § 1; 533);

b) bona usui Ordinis, i. e. religiosorum nostrorum ut talium, *destinata,* quorum *dominium* est vel apud benefactores si illud sibi reservaverint, vel secus apud S. Sedem; *usus* vero et administratio penes Fratres Ordinis sub dispositione Superiorum.

85. **Usui Ordinis** destinata censentur conventus, residentiae aut hospitia cum adiecto horto, si religiosis *ut talibus* fuerint data vel pro ipsis erecta. Item mobilia omnia, utensilia, libri etc. in Fratrum usum sive individuum sive communem comparata aut donata. — Horum omnium administratio est penes Superiorem regularem ad normam Constitutionum generalium Ordinis.

86. **Bona Missionis** sunt ea omnia quae intuitu Missionis data sunt, sive mobilia sint sive immobilia, uti domus, ecclesiae, sacella, coemiteria, scholae, hospitalia, fundi et terrena; item pecuniae a Missione ad lucrum colloca-

tae, contributiones Propagationis Fidei, Operis S. Petri, Sacrae Infantiae aliorumque huiusmodi, redditus quoque dictorum fundorum et pecuniarum.

Quae omnia administrat Ordinarius loci cum Consilio suo per Procuratorem temporalem aut Oeconomum a se deputatum; et post necessariam missionariorum sustentationem impenduntur in educationem cleri indigenae, et in varia alia opera Missionis (cfr. Instr. S. C. de Prop. 18 Oct. 1883, IV 8; V 7; XIV).

87. Ne tamen Superiores ecclesiastici, hac necessitate providendi sustentationi missionariorum, nimium graventur, Ordo noster universus, praesertim vero Provincia cui determinata Missio concredita est, operariorum nostrorum subsistentiae imo et operibus Missionis pro viribus efficaciter contribuet, per eleemosynas in hunc finem a fidelibus oblatas aut corrogatas et Superiori regulari transmittendas (cfr. supra n. 2, 8).

88. **De oblationibus « intuitu Missionis ».** — Sedulo dignoscat Superior regularis quaenam ex singulis eleemosynis sibi aut missionariis obvenientibus, *intuitu Missionis* datae sint. Nam pro huiusmodi oblationibus « etiam missionarii regulares subiiciuntur Vicarii aut Praefecti Apostolici iurisdictioni, visitationi et correctioni » (Can. 296; cfr. can. 533 ad 4); ideoque de iis Vicario aut Praefecto Apostolico rationem reddere tenetur.

89. De aliis eleemosynis quas, intuitu potius *personae aut Ordinis* aut praestiti laboris, accipi contigerit, sicut et de stipendiis Missarum suorum subditorum, soli Ministro generali (necnon Provinciali, si *uni* Provinciae concredita est Missio) annuam rationem reddet Superior regularis (cfr. n. 29). Ubi de intentione donantium non constat, praesumitur intuitu Missionis data eleemosyna.

90. **Ad quos fines adhibendae sint eleemosynae.** — De omnibus eleemosynis, Superior regularis disponat iuxta voluntatem donantium si ipsi intentionem suam expresserint. Sin aliter, primo loco adhibeantur pro necessitatibus tam spiritualibus quam corporalibus missionariorum sibi subditorum, pro eorum nempe victu, vestitu,

expensis domesticis, itineribus, medicinis etc. — Quidquid autem supererit, unice in beneficium Missionis, sive per se sive per missionarios Superior regularis impendet, in ea nempe opera (scholas, catechumenatus, dispensaria, catechistas etc...) quae iam ab Ordinario loci fuere in Missione approbata aut permissa, et hoc semper cauto quod de eleemosynis intuitu Missionis datis paratus sit Superiori ecclesiastico rationem reddere.

91. Vi voti et regulae *non licet Ordini* nostro vel in ipsis Missionibus pecunias ad lucrum collocare aut fundos fructiferos habere, comparare aut accipere; potest autem Vicariatus aut Praefectura Apostolica quippe quae est persona moralis capax possidendi. Superfluae igitur (si quae fuerint) eleemosynae *intuitu Missionis* datae, pro quibus non est vera necessitas praesens vel imminens religiosorum aut operum, a Superiore regulari de praevio consensu Ordinarii loci ad lucrum collocari possunt, vel in manus tradantur Superioris ecclesiastici ut in plenum dominium et administrationem transeant Missionis (cfr. n. 87). — E contrario, si eleemosynae ut supra n. 89 obvenientes, non sufficerent ad honestam missionariorum sustentationem, Superior regularis confidenter adeat Vicarium aut Praefectum Apostolicum ut ex eleemosynis aut redditibus Missionis, per ipsum benigne provideat (cfr. n. 87).

92. **Procurator temporalis.** — Duplex igitur habetur administratio oeconomica in Missionibus nostris. Quae si quando utraque traderetur in manus unius eiusdemque Procuratoris temporalis, iste tamen debeat libros tenere distinctos pro acceptis et expensis tum Superioris regularis tum Superioris ecclesiastici, et tam huic quam illi exactam rationem annuam respective reddere. Nihil Procurator per seipsum statuat, sed quae ei mandata fuerint a respectivo Superiore, fideliter exsequatur. Bona temporalia diligenter administret, ita tamen ut in impletione muneris sui, spiritu mundano se non sinat infici, neque speret in pecunia et thesauris.

Sit omnibus affabilis, sine personarum acceptione omnibus providens, et cum cura rei oeconomicae apostolicum ministerium prout potest coniungat.

93. Ipsi missionarii, eamdem quae supra (n. 93) distinctionem servantes, de iis omnibus eleemosynis quas directe a Vicario aut Praefecto Apostolico pro variis operibus acceperint, necnon de fructibus et redditibus ex fundis Missionis perceptis, soli Superiori ecclesiastico rationem reddant.

De iis autem pecuniis quas singuli quotannis a Superiore regulari aut, ipso consentiente, directe a benefactoribus acceperint, coram solo Superiore regulari sincerae rationi reddendae obnoxii sunt (qui ulterius iuxta oblationum naturam sive Superiori ecclesiastico sive Superioribus Ordinis, ut supra dictum est, de earum usu referet).

94. Si agitur de parochis aut quasi-parochis (Can. 451, § 2, n. 1), servetur canon 630, § 4, et Const. gen. n. 690; et proinde nihil de sua gestione temporali vigilantiae Superiorum respective competentium subtrahere praesumant.

95. Quicumque missionarius administrationi alicuius districtus praeficitur, aut pecunias quovis titulo expendendas accepit, librum teneat omnium acceptorum et expensorum, in quo quotidie utraque accuratissime conscribat. — Nullus instrumenta legalia de bonis Ecclesiae conficere audeat, sine expressa auctoritate Superioris ecclesiastici, ex cuius sola delegatione in hoc casu agit.

96. Non solum de rebus usui personali concessis, sed et de rebus Missionis sollicitam curam gerant missionarii, iuxta dispositiones Superioris ecclesiastici. Cum igitur missionarius ad suam primo stationem accedit, a praedecessore aut a vicario foraneo accipiat inventarium omnium ad Missionem pertinentium. Tenetur autem supellectilem et aedificia integra servare, si nequeat ea meliorare, ut successori saltem tantum tradat quantum ipse accepit. Quodsi vel ad reficienda quae vetustate obsoleta et squalida evaserunt vel ob maiorem loci decorem ad nova conficienda, expensae fieri debeant, hae ordinarie a Superiore ecclesiastico probandae sunt et concedendae, si agitur de rebus Missionis.

Poterit tamen Superior regularis concedere ut etiam eleemosynae intuitu personae aut Ordinis datae, si quae sint residuae, ad hoc adhibeantur.

97. Si quis missionarius, *industria sua aut parcimonia*, in ratione annua pecuniam residuam habuerit, aut personales eleemosynas acceperit, de istis ulterius disponere poterit, modo *a)* id fiat cum expresso consensu et sub vigilantia Superioris regularis, *b)* potissimum adhibeatur in operibus ad propagandam vel stabiliendam fidem conducentibus et ab Ordinario loci approbatis; *c)* haec pecunia, donec ita adhibeatur, maneat deposita apud Superiorem regularem vel eius Procuratorem temporalem.

Conclusio

De horum Statutorum observantia.

98. Haec Statuta ab omnibus ad quos spectant fideliter serventur tam in Provinciis quam in Missionibus, dummodo Statuta specialia a S. Sede pro quibusdam Missionibus condita et approbata, iis non contradicant.

Superiores igitur missionarios suos exemplo praeeant, et seposito omni respectu humano, horum observantiam Statutorum stricte urgeant, negligentes moneant et corrigant, et emendatione non secuta punire aut ad Superiores maiores deferre non vereantur.

99. Statuta haec singulis annis in omnibus nostris conventibus post Constitutiones generales, et in Missionibus durante recessu spirituali, in publica mensa praelegantur; et in visitatione canonica de diligenti Provinciarum ad Missiones collaboratione Visitatores indagare ac Ministro generali in scriptis referre non omittant.

APPENDIX I.

Unio Missionaria Franciscana.

(Conf. *Acta Ordinis*, an. 1922, pag. 157, 162 sqq.).

Unio missionaria franciscana, a S. Sede approbata et multiplicibus indulgentiis et favoribus ditata, in *omnes Provincias* introducatur, ceu adaptissimum instrumentum quo idea missionaria inter populum christianum magis propagetur, vocationes suscitentur ac foveantur, et largiores eleemosynae pro crescentibus in dies necessitatibus Missionum, regulariter obtineantur.

A Superioribus provincialibus designetur Pater qui in quolibet conventu aut residentia et in toto districtu adiacente piam Unionem promoveat ac dirigat, quique *Procuratoris localis* partes agat. Ipsius est nomina membrorum et benefactorum in regestis *ad hoc* inscribere, zelatores et zelatrices Unionis designare et stimulare, libros accepti et expensi tenere, eleemosynas simul cum relatione de exercitio annuo, Procuratori provinciali per syndicum apostolicum transmittere. Cum zelo et diligentia officium implebit, conciones, conferentias aut festa missionaria in suo districtu opportune habenda curabit, variisque adhibitis industriis et mediis efficiet ut *Unio* crescat et floreat.

Designetur item *Procurator provincialis,* cui incumbit activitatem Procuratorum localium iuxta dispositiones Superiorum dirigere et stimulare, eos servatis servandis interdum insimul convocare, regesta membrorum et rationem pecuniariam cuiuslibet sedis inspicere et recognoscere, eleemosynas omnes ad respectivam destinationem transmittendas curare, rationem annuam simul cum brevi relatione Patri Provinciali, necnon Ministro generali *Unionis* Moderatori, fideliter exhibere.

Eleemosynae ab Unione Missionaria collectae *unice et exclusive pro Missionibus* expendi possunt et debent. Cedent nempe in emolumentum propriae Missionis respectivae Provinciae concreditae. Sin autem, Romam ad administrationem centralem devolvantur et mittantur, pro opportuna per Ministrum generalem distributione inter Missiones nostras magis indigentes aut tamquam contributiones ad opera variis Missionibus nostris communia.

APPENDIX II.

Programma studiorum pro aspirantibus Missionariis in Collegio S. Antonii in Urbe.

(*Statuta peculiaria pro regendis studiis*, n. 32 ad 44).

1. Pro *aspirantibus missionariis* cursus S. Theologiae absolvetur spatio quatuor annorum. Praeter Theologiam Dogmaticam et Moralem, complectetur studium Sacrae Scripturae, Historiae ecclesiasticae, Iuris Canonici, Pastoralis, Liturgiae, Sacrae Eloquentiae, Cantus ecclesiastici et Linguarum exterarum.

2. Lector Theologiae Dogmaticae in singulis tractatibus specialem curam impendeat Apologeticae, uti inter infideles praesertim usu venit. Item placita praesertim haereticorum illorum, qui proselytismum inter infideles facere conantur, nitide perstringantur.

3. In Theologia Morali, tractatibus praecipue de baptismo, de matrimonio, de iustitia et iure et de contractibus diutius inhaereatur; et quae existunt in his materiis pro regionibus infidelium data decreta adducantur et explicentur.

4. In studio Scripturae Sacrae sermonibus et epistolis S. Pauli speciali diligentia incumbatur, eiusque principia directiva, tum vitae interioris, tum apostolatus, scrutari et coordinare discant alumni.

5. In Historia Ecclesiastica fusius tradatur propagatio christianismi eiusque per decursum saeculorum in varia regna et regiones introductio, et in specie operositas missionariorum Ordinis nostri.

6. Lector Iuris Canonici quidquid iuridicam organisationem missionum, tam personarum quam rerum, necnon curam animarum spectat, penitius explicabit.

7. Lectionibus de Theologia pastorali addantur *practicae* exercitationes praesertim de ratione tradendi pueris, catechumenis aliisve catechismum, audiendi confessiones, visitandi infirmos, assistendi moribundis.

8. In Sacra Liturgia, praeter lectiones theoreticas, practica quoque habebuntur exercitia, praesertim in iis quae spectant ad coeremonias Baptismi tam parvulorum quam adultorum, Confirmationis, Extremae Unctionis et Matrimonii. Explicetur quoque Memoriale Rituum Benedicti XIII, anno 1724, iussu editi.

9. Eloquentia Sacra praecipue studentes exercebit in methodis practicis, quibus veritates religionis et fidei mysteria mentibus rudibus facilius ingerantur eorumque captui accomodentur.

10. Linguae tradentur iuxta varias necessitates (regionum ad quas destinantur alumni), italica, gallica, anglica, hispanica, germanica. Generatim nemini permittatur plus quam duabus linguis simul incumbere. Cursus erit practicus et conversationi potius intentus; terminologia religiosa adamussim edoceatur.

Lingua indigena regionis, ad quam destinantur, potius scripta edoceatur, ita ut libros ordinarios de doctrina tractantes intelligere iam queant, et conversationem, quum ad ipsas missiones pervenerint, citius, facilius et melius addiscant.

11. Tempore vacationum studentes utili alicui arti acquirendae, quisque pro libitu suo, otium partim insumant; qualia sunt elementa musicae, graphices (disegno), picturae; item mechanicae, architecturae, astronomiae, meteorologiae; vel tandem artes manuales.

12. Absoluto S. Theologiae quadriennio, Neo-sacerdotes (ad mentem Constit. Glium n. 257) per integrum annum illis variis notionibus perfectius acquirendis operam navabunt, quas missionario magis necessarias aut utiles esse experientia probavit.

Ultimo huic anno studii specifice missionarii illi quoque sacerdotes intersunt, qui, postquam in respectivis Provinciis studia theologica perfecerint, ad vitam apostolicam inter infideles sese accingunt. (Cfr. *Statuta pro Missionibus* n. 36).

13. Materiae tradentur hoc quinto anno sequentes:

a) Quaestiones selectae Dogmaticae, Moralis, Iuris Canonici, Apologeticae, Exegesis, quae respiciunt scientiam, organisationem et legislationem missionariam.

b) Casus conscientiae necnon conferentiae de Theologia Pastorali tam theoretica quam practica, pro indigentiis missionum.

c) Historia missionum in genere et Ordinis nostri in specie. Lector non merum factum externum commemorabit propagationis

fidei inter infideles; sed et methodos apostolatus indagabit, media pro circumstantiis adhibita et obstacula superata in adducendo varias nationes ad fidem et mores christianos.

d) Historia religionum, praesertim regionum illarum ad quas destinantur missionarii nostri.

e) Ascetica et mystica Theologia, quae studium audit methodicum et analysim vitae interioris.

f) Historia populorum et Geographia regionum, quibus potissimum destinantur alumni.

g) Notiones magis utiles tum institutionum civilium, tum consuetudinum et morum eorumdem populorum.

h) Studium linguarum exterarum; signatim sinicae, gallicae et anglicae.

i) Ratio administrandi res temporales et curandi libros administrationis.

j) Elementa medicinae et pedagogiae.



APPENDIX III.

Quaestiones circa qualitates, quae necessariae sunt in iis qui ad Episcopale munus vel ad Vicarii Apostolici seu Praefecti officium promovendi sunt.

1. Nomen, cognomen, aetas, patria Candidati, indicando etiam diem et locum nativitatis.

2. An a parentibus catholicis et spectatae vitae natus sit, an legitimis natalibus?

3. Quaenam dioecesis originis, et cuinam sit in praesens addictus?

4. Ubinam humanioribus litteris, studiis philosophicis et theologicis vacaverit et quo profectu?

5. An gradus assecutus fuerit et quos?

6. Ubi et quando sacros ordines susceperit?

7. An et quando in Institutum religiosum aut Missionum ingressus fuerit? Quam vivendi rationem inde ab initio ibi tenuerit? Et, si religiosus sit, quaenam fuerit eius vitae ratio tempore novitiatus et studiorum nec non post sacros susceptos ordines, iuxta relationes datas a Magistro novitiorum et Rectore studiorum?

8. Ubi antea sacrum ministerium vel officium ecclesiasticum obiverit, et quo successu?

9. An professor exstiterit et cuius disciplinae?

10. An et ubi missiones sacras obiverit et quam in eis experientiam obtinuerit?

11. Quot linguas calleat, et quas?

12. An semper sanam doctrinam professus sit et debitam reverentiam et submissionem erga S. Sedem eiusque decisiones et instructiones ostenderit?

13. An spiritu pietatis, zelo animarum et liberalitate erga pauperes causasque pias eniteat?

14. Quam prudentiam exhibuerit in deliberationibus et agendi ratione?

15. Utrum sit propositi tenax sine pertinacia, an ingenio mutabilis?

16. Num gaudeat fama honestatis, et an fuerit unquam in eo quid contra mores?

17. An sit corpore sanus, frugi, patiens, nullaque quae sciatur haereditaria mentis aut corporis infirmitate labefactetur?

18. An in administratione rerum temporalium sit versatus et unde hoc arguatur?

19. An in exercendis sacerdotalibus muniis sit attentus, compositus cum aedificatione, rubricarum studiosus observator?

20. An habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus gravitatem ac religionem praeseferat?

INDEX ALPHABETICUS

Numerus indicat articulum.

Abusus contra Regulam improbantur 59.
Administratio oeconomica duplex 92 — rerum Missionis 95, 96.
Aegroti *v.* **Infirmi.**
Annales Missionum 8*j*, 78.
Archivum Missionis 5*d*, 27, 31, 78.
Aspirantes *v.* **Missionarii.**
Auctoritas duplex in Missione 10. — *Vide* **Min. Gener.** et **Provincial.**
Barbam deponant stabiliter reversi 73.
Bibliotheca 77.
Bonorum distinctio 84, 85, 86. — *Vide* **Administratio.**
Candidati: pro superioratu ecclesiastico 4*f*, 8*a*, 16, APPENDIX III — pro super. regulari 8*b*, 22.
Casuum conscientiae solutio 64.
Charitas fraterna 66 — erga infirmos 28.
Clerici ad Missiones aspirantes: Vocatio foveatur 34 — debite efformentur 4*c*, 8*f*, 35. — *Vide* **Formatio, vocatio.**
Clerus indigena 16, 66, 71.
Coadiutor 16.
Collegia Missionum 4*c*, 8*f*, 35, 36, APPENDIX II.
Commissarii Missionum *v.* **Superior regularis.**
Confessio quando facienda 51.
Confessionalia iuxta praescripta canonum instructa sint 58.
Congressus Consilii Superioris regularis 31.
Consiliarii Superioris regularis: designatio, officium, vacatio 31, 71.
Consortia suspecta cavenda 58.
Constitutiones generales in residentia regulari servandae 75.
Conventus usui Ordinis destinati 85.

Cooperatio omnium ad apostolatum inter acatholicos 2 — Provinciarum ad Missiones 6 seqq., 98.
Corona VII Gaudiorum B. M. V. quotidie recitetur 53.
Definitorium provinciale candidatos, praesentet pro Vicario aut Praefecto Apost. 8*a* — Superiorem regularem eligit 8*b*, 20 — Ordinationes condere potest 8*d*.
Diarium singularum residentiarum conscribendum 79.
Dimittendi a Missione *v.* **Revocandi.**
Dispensatio permanens in Regula 57 — Dispensationibus non abutantur missionarii 57, 73.
Dominium rerum temporalium 84 seqq.
Educatio et formatio aspirantium 4*c*, 8*f*, 35, 36.
Eleemosynae: intuitu Missionis 88 — intuitu personae aut Ordinis 89 — Iis parce utendum 60 — ad quos fines adhibendae 86, 87, 90, 91 — An ad lucrum collocari possint 91 — Earum ratio reddenda: a Superiore regulari 31, 88, 89, 90; a Procuratore temporali 92; a Missionario 59, 61, 93, 94. — Missarum 61. — *Vide* **Unio Missionaria, Pecunia, Quaestuatio, Subsidia.**
Episcopi *v.* **Ordinarius loci, Superior ecclesiasticus.**
Examen: conscientiae 52 — Theologiae pro titulo Missionarii Apostolici 43 — Linguae indigenae 47, 48 — quinquennale theologiae pro neo sacerdotibus 65.
Exercitia: pietatis 50 seqq. — Spiritualia annua 54, 55.
Famuli 58.
Formatio missionaria *v.* **Vocatio, Educatio.**
Generalis Minister: auctoritas in Missione 3 — Munia 4. — *Vide* **Ratio, Relatio, Admissio** ad Ordinem, **Dispensatio** permanens.
Gymnasia 33.
Habitus Ordinis non deponendus 70.
Horarium servandum 63.
Indigena petens vitam nostram accipere 80. — *Vide* **Clerus.**
Indigne ambulantes 72.
Infirmi 28, 75.
Inservientes *v.* **Famuli.**
Instrumenta legalia sine licentia non conficienda 95.
Intentiones missarum 61.
Inventarium rerum Missionis 96.
Iter ad Missiones 45, 46 — extra districtum 69.
Labor praescribitur 62, 63.

Liber receptarum et expensarum 27, 95.
Laici in Missionibus 44, 71.
Linguarum studium 47.
Mendicatio eleemosynarum *v.* **Quaestuatio.**
Minister *v.* **Generalis** vel **Provincialis.**
Missarum intentiones 61.
Missionarii: cui subsunt 3, 10, 11, 14, 15, 17, 18, 19 — vocatio 33, 34 — formatio 35, 36, APPENDIX II — petitio ad Missiones 37 seqq. — examen 43, APPENDIX III — iter ad Missiones 45, 46 — studium linguae 47 seqq. — pietatis exercitia 50 seqq. — observatio votorum et Regulae 57 seqq. — labor et studium 62 seqq. — charitas fraterna 66 — zelus pro conversione infidelium 67 — politicarum rerum cura vitanda 68 — habitus retinendus 70 — praecedentiae ordo 71 — sustentatio 26, 86, 87. — *Vide* **Ratio, Relatio.**
Missiones: opus summi momenti 1, 2 — provinciis attribuendae 6, 7 — cooperatio provinciarum 6 seqq., 98. — *Vide* **Secretaria, Visitatio, Relatio,** etc.
Mulieres 27, 58.
Negotiatio prohibita 60.
Obedientia: Ministro Generali 3 — Superiori ecclesiastico 11, 15, 17 — Superiori regulari 15, 24, 57.
Oblationes *v.* **Eleemosynae.**
Officium divinum 63.
Oratio mentalis 50, 63.
Ordinarii locorum quinam sunt 11. — *Vide* **Superiores ecclesiastici.**
Ordinatio clericorum *v.* **Admissio.**
Ordinationes Definitorii provincialis 8*d*.
Otium vitandum 62.
Parochus: missa pro populo 61 — gestio temporalis 94.
Parsimonia 26, 60, 96.
Paupertas: in usu rerum 60, 96. — *Vide* **Eleemosynae, Vota.**
Pecunia: an ad lucrum collocari possit 91 — residua Missionario 97. *Vide* **Eleemosynae.**
Periodicus ecclesiasticus 57.
Petitio Missiones adeundi 4*d*, 37 seqq. — *Vide* **Vocatio.**
Politicarum rerum cura abiicienda 68.
Postulantes admissionem ad Ordinem 24, 80.
Praecedentiae ordo 71.
Praefectus apostolicus *v.* **Superiores ecclesiastici.**

Procurator temporalis in Missione 92.
Procuratores Unionis Missionariae Franciscanae 45, APPENDIX I.
Professio fidei a Superiore regul. emittenda 23.
Protector Ordinis *v.* **Suffragia.**
Provicarius 17, 71.
Provinciarum: cooperatio ad Missiones 2, 6 seqq., 98, 99 — in concreditam Missionem obligationes et iura 8 — sustentationi Missionariorum contributio 8*g*, 87.
Provincialis Minister Missionem utiliter visitabit 8*c* — non agat nisi mediante Superiore regulari 8*e* — missionarii cum ipso communicent 8*i* — praecipuos eventus Missionis notabit 8*j* — de omni petente Missiones sincere referat 38 seqq. — *Vide* **Provincia, Definitorium.**
Quaestuatio importuna vitetur 45.
Ratio reddenda: a Procuratore provinciali Unionis Missionariae APPENDIX I — a Superiore regulari 29, 31, 88 — a Procuratore temporali in Missione 92 — a missionariis 61, 93, 94, 97. — *Vide* **Relatio.**
Recessus *v.* **Exercitia.**
Recollectio menstrua 56.
Regestus: computationum 27, 95.
Regulae observantia 57 seqq., 75.
Relatio annua: Procuratorum provincialium Unionis Missionariae APPENDIX I — missionariorum Provinciali 8*i* — Superioris regularis Provinciali 8*i*, 29 — Superioris regularis Ministro Generali 29, 30. — *Vide* **Ratio.**
Res oeconomica 84 seqq.
Residentia regularis 74 seqq.
Reversi e Missione 73.
Revocandi a Missione 8*h*, 62, 72.
Rubricarum observantia 27.
Sanctuarii nitor 27.
Scandalum puniendum 58.
Scholarum directio et inspectio 11, 15.
Scholae apostolicae *v.* **Gymnasia.**
Secretaria Missionum 5.
Sedis Apostolicae decreta servanda 57.
Senes 75.
Servi *v.* **Famuli.**
Solutio casuum 64.
Statuta pro Missionibus legenda et servanda 98, 99.

Stipendii missarum ratio reddenda 61.
Studentes *v.* **Clerici.**
Studia: in gymnasiis 33 — in Collegiis Missionum 35, 36 — S. Antonii in Urbe Appendix II — linguae indigenae 47, 48 — theologiae 63 seqq.
Subsidia materialia 4*h*, 8*g*, 86, 87, 91. — *Vide* **Eleemosynae.**
Suffragia pro defunctis 81 seqq.
Superior regularis: quomodo eligendus 4*b*, 8*b*, 20 seqq. — professio fidei 23 — duratio officii 23 — auctoritas et potestas 15, 19, 24 — relationes cum Ordinario loci 12, 14, 15, 25, 88, 90, 91 — obligationes et munia 26 — annua Visitatio 27 — cura pro infirmis 28 — annua relatio 8*i*, 13, 29, 30. — Consiliarios annuatim convocet 31 — residentiae regulari praeest 74 — de eleemosynarum usu ratio reddenda 31, 88 seqq. — statutorum observantiam urgeat 98. — *Vide* **Ratio, Relatio.**
Superiores ecclesiastici: quinam sint 10, 11 — obedientia ipsis debita 11, 15 — quid si ad Ordinem pertineant 12, 13 — in nominatione ad officia etc. 14 — quando eorum decretum praevalere debeat 15 — candidatorum praesentatio 16 — auxiliarii 17, 18.
Suspecta consortia 58.
Theologiae studium 63 seqq.
Transitus ad aliam Missionem 4*d*, 7*c*, 8*h*.
Unio mission. francisc. 5*c*, APPENDIX I.
Usus rerum pauper aut moderatus 60.
Vacatio officiorum Superioris regul. aut Consiliarii 31.
Vestis talaris 70.
Vestimentum *v.* **Habitus.**
Via Crucis semel in hebdomada peragenda 53.
Vicarii apostolici *v.* **Superiores ecclesiastici.**
Vicarius: delegatus 17, 71 — foraneus 18, 71.
Vice-parochus *v.* **Parochus.**
Visitatio: triennalis 4*e* — annua Superioris regularis 27.
Visitator: generalis 32 — provincialis 99.
Vocatio ad Missiones 4*d*, 9, 33, 34, 38, 42, 44. — *Vide* **Petitio.**
Vota consultativa *v.* **Candidati.**
Vota religiosa 24, 57 seqq.
Zelus pro conversione infidelium 67.

INDEX

Decretum S. Congregationis de Propaganda Fide. . . Pag. 3
Decretum Ministri generalis 4

Cap. I.... De Missionibus in Ordine, earumque administratione centrali 5
Cap. II.. De Provinciarum ad Missiones cooperatione. . . 8
Cap. III. De Superioribus ecclesiasticis, eorumque auxiliariis. 11
Cap. IV. De Superiore regulari, eiusque consilio 13
Cap. V.. De Missionariis. — Eorum vocatio, formatio, vita in Missionibus 18
Cap. VI. De re oeconomica 30

Conclusio: De horum Statutorum observantia 34

Appendix I.... Unio Missionaria Franciscana. 35
Appendix II.. Programma studiorum pro aspirantibus Missionariis in Collegio S. Antonii in Urbe. . 36
Appendix III. Quaestiones circa qualitates, quae necessariae sunt in iis qui ad Episcopale munus vel ad Vicarii seu Praefecti Apostolici officium promovendi sunt 39

Index alphabeticus 41